Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lominis ad nos usque militem christi uictorem suum destinati nichil pe-
nitus preualerent. eo perfecerunt. tales tanteque eorum insidie, tota ma-
gica arte quesite, ut per hec euidentissime comprobarent magnam
professioni christianorum inesse uirtutem. quibus ille tam seue et tam poten-
tes uires, quas estimabant solem lunamque si ad eas directe fuissent
obducere potuisse, hunc non solum nichil ledere, sed ne ad punc-
tum quidem de monasterio suo ualuerint perturbare. XVIIII.

Cumque per hac ammiratione extemplo uenientes ad abbatem
antonium impugnationum suarum magnitudinem et causas
atque insidias patefecissent liuoris occulti, christianos se
fieri protinus poposcerunt. Requisito autem ab illis per diem impug-
nationis die, asseruit se amarissimis cogitationum sti-
mulis tunc fuisse pulsatum, quo experimento sententiam nostram quam
hesterno die in collatione protulimus, probauit ac definiuit
beatus antonius nullatenus demones posse mentem cuiusque uel
corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam
penitus irruendi, nisi eam prius destituerint omnibus cogi-
tationibus sanctis ac spiritali contemplatione uacuam nudamque red-
diderint. Sciendum tamen duobus modis spiritus inmundos ho-
minibus obedire, aut enim sanctitati fidelium diuina gratia ac uir-
tute subduntur, aut sacrificiis impiorum seu quibusdam carminibus
deliniti, uelud familiaribus adulantur, qua opinione pha- [obtemperant]
risei quoque decepti arbitrati sunt etiam dominum saluatorem hac arte
demonibus imperasse dicentes: in beelzebub principe demo-
niorum hic eicit demones, secundum illam scilicet consuetudinem qua
nouerant suos magos uel maleficos per inuocationem
nominis illius ac ritum sacrificiorum quibus eum delectari et gaudere
cognoscunt, uelud domesticos eius habere etiam demones
ei subditos potestate. .XX. GERMANUS.